

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

19. Spiritus Vini igneus Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

Hic est iste Vini Spiritus, quo Basilius passim usus est, præsertim in Conclusionibus suis, ubi per Vini Spiritum corpora tam Metallica, quam mineralia redigit in Olea. Quisquis alium ejus loco sibi imaginatus fuerit Spiritum, necesse habet, ut sibi caveat, ne dicti veritatem damno suo experiatur. Datur quidem adhuc alia ejus Vini Spiritus descriptio in Appendice Elucidationis, quæ tamen à priori non differt, nisi quod in superiori descriptione legebatur sal Tartari volatile; hic vero legitur sal armoniacum optimè sublimatum. At ea esse Synonyma jam modo patet ex Lullii Recepto. Quodcumque enim sal sive fixum sive volatile Spiritui Vini Phil. conjunctum sublimatumque fuerit, Sal volatile nostrum, Sulphur naturæ nostrum, & Mercurius sublimatus noster dicitur, quibus promiscuè ceu salibus Philosophicè sublimatis uti licet; utraque enim salia ista (Tartari & salis armoniaci) ex una eademque forsitan materia, confecta fuerunt à Basilio. Hoc autem ejus Menstruum Cælo vegetabili Lullii minùs forte est, etiamsi ex eodem sale Tartari æquè sit ac istud præparatum. Basilius enim hujus salis diminuit virtutem Spiritus Vini communis additione; cum Lullius idem efficiat opus sed Vini Phil. Spiritu. Ast Basilius suum aliquando etiam Lullii Cælo Veg. fortius Menstruum reddidit, separando Spiritum Vini Com. à sale armoniaco Philosophico, quod quidem duplici peregit modo.

Primò accendit Menstruum in vase cupreo ad usum hunc destinato, ut Spiritus Vini Communis comburatur, sal armoniacum verò Vegetabile per se remaneat in liquidam substantiam redactum. Modus est iste.

## 19. Spiritus Vini igneus Basili, .

Loco ut supra.

Re. Spiritum Vini antecedentem ad hanc Spiritus ignei præparationem idoneum. Conficiatur Instrumentum ex Venere quod in medio, infra & supra foramina, tolli potest, prout & supra mediam cucurbitam: Impone alembicum cum tabulo, omnia ex Venere sint præter recipientem, qui sit ex vitro, quem pone in vase ligneo in aquam & supra pannis humidis

H 2

tege,

tege, in vase ligneo fit meatus per quem aqua ubi incaluit, effluat & frigida affundatur; omnibus sic paratis per foramina inferiora immittitur Spiritus Vini præparatus, ut ad foramina attingat, tunc accenditur, & Mercurius per foramina media sursum pellitur, resolviturque ob frigus aquæ, & ex alembico transit in recipiens. Sic præparatur Spiritus verus Vini, sed in opere nunquam cessa à refrigerando, & affunde novam Aquam Vitæ, ne nimis profundè ardeat. *In Additione vel Appendice manualium operationum hunc Spiritum ita descripsit Basiliius.* R. Vinum adustum (potius Vinum adurendum ex Sale Harmoniaco Tartari & Spiritu Vini Communis confectum) quod ponas in vase forti durante ignis flammam, & accendas flammâ sulphuris, & protinùs applica Alembicum ferreum vel cupreum, & verus igneus Vini Spiritus resolvitur & destillatur in liquorem in recipiens amplum; hic est verus acereus & igneus Spiritus Vini.

*Secundo imprægnat Menstruo sub No. 18. descripto calcem vivam ex qua fortius adhuc destillat Menstruum, Spiritus Calcis Vivæ dictum.* Calx Viva, inquit, fortificatur, & magis ignea redditur per purum & minimè sophisticatum Spiritum Vini (ex sale armoniaco & spiritu vini com. confectum) sæpiùs desuper cohobatum, cui calci addas sal alcali Tartari, additis Salis ejusdem fecibus exsiccatas, ex quibus optimè permixtis destillabis verum Spiritum gehenneum, in quo magna absconduntur mysteria. Methodum acquirendi hunc spiritum tibi dixi, quam observa, tene, ac pro dono valedictorio accipe. *Basil. in Repet. Lapidis in Cap. de Calce Viva.* Nota, inquit, in fine *Libri de Medicinis Supernaturalibus*; vobis dixi de virtutibus & qualitatibus Lapidum pretiosorum; at reperiuntur etiam plures lapides despicabiles & ignobiles, magnæ tamen virtutis, testante ipsa Experientia; quamvis ignorantes & inexperti haud fidem adhibebunt dictis, istaque cerebris suis obtusis concipere nequeant, istud tamen demonstrabo Calcis vivæ exemplo, quæ Calx, juxta judicium vulgi, parvi pretii est, & contemptibilis in obscuritate. Nihilominus in hac est virtus potens, quæ apparet in sui applicatione contra morbos gravissimos: At cum triumphans & transcendens ejus Efficacia ferè incognita sit plurimis, ideò pro causa illorum inquirentium in mysteria naturalia & supernaturalia & quorum gratia hujus Libri aperio

Ar-

Arcana: Pro Valedictorio detegam etiam mysterium Calcis vivæ, & dicam primò modum destillandi ejus spiritum, quod opus sanè requirit Artistam expertum antea bene informatum in hac præparatione.

## 20. Spiritus Calcis Vivæ Basiliæ,

*In fine Lib. de Med. supernatur.*

R. **C**alcis Vivæ q. v. tere & præpara in marmore in pulverem impalpabilem; cui affunde Spiritus Vini (*Menstrui sub No. 18.*) tantum, quantum imbibi possit à Calce pulverisata, ita ut nullus Spiritus supernatet Calcem. Tum applica alembicum; luta bene, & apposito recipiente abstrahe Spiritum lenissimè in Balneo ab eâ; hæc abstractio reiteranda octo vel decem vicibus. Hic Spiritus Vini fortificat valdè Spiritum Calcis, qui inde fit magis igneus. R. Calcem remanentem ex cucurbita, quam contere optimè, cui adde Salis Tartari (*Alcali*) partem decimam, & ad pondus omnium, Terræ salis Tartari, sive materiæ in Extractione salis Tartari relictæ & bene exsiccatae, hæc omnia bene mixta destilla ex retorta bene lutata, cujus tres partes sint vacuæ, in Recipiens magnum & firmum. Nota, necesse est, ut recipiens, in quod Retortæ rostrum inseritur, habeat fistulam unius digiti latam, cui aliud applicandum est recipiens, in quo parva quantitas Spiritus Vini (*Menstrui sub No. 18.*) sit. Tum leni igne destilla, & ascendet phlegma in recipiens primum, destillatò phlegmate adauge ignem, & veniet Spiritus albus in forma Spiritus albi ex Vitriolo (*philosophico*) destillati, qui non descendet in phlegma, sed per fistulam prædictam in alterum recipiens, seie inibi conjungens Spiritui Vini, quemadmodum ignis igni facilè jungitur. Nota, nisi hic Spiritus Calcis ritè fuerit præparatus vel imprægnatus Vini Spiritu, cohobationibus prædictis, destillando miscetur phlegmati suo, extinguitur & amittit suam virtutem. Ita difficile est penitus perscrutari naturam, plurima sibi met ipsi reservantem. Hoc Spiritum Vini Spiritu commixto, remove recipiens, effunde phlegma, at cautè serva calcis & vini Spiritus. Nota, ambos hos  
Spie